



L Ampertus ex nobili familia à Burn natus fuit. Eum parentes capescendi ingenij cultum gratia in Gengenbacense monasterium collocarunt. Ibi adeò pietate & doctrina profecit, ut in eius loci Abbatem eligeretur. Verùm eam dignitatē adeptus multo maiori diligentia literis incubuit, atq; sua eruditione apud omnes magnum sibi nomen comparauit. Hinc factum ut Carolus 4. Imperator eum suum Cancellarium elegerit, atq; res Imperij grauissimas administrandas cōmiserit. In eo officio cum mira dexteritate pergeret, Brixienfis Episcopus eligitur. Postea uerò etiam Spirensis antistes declaratur. eam Ecclesiam per annos 9 magna

diligentia gubernauit, atq; sua uita reliquis optimo exemplo fuit. Itaq; cū Argentinenfis præsul Iohannes 3. uita fungeretur, etiam eius loci antistes constitutus est. Nec tot ecclesiarum cura sufficiebat, quin etiam episcopus Bambergensis eligeretur. Talis enim erat Lampertus, ut quolibet ecclesia speraret, eū in turbatis ijs temporibus non sine fructu rebus potiturum. Eius tempore, anno 1374. Britanni denuò in Alsatiā irruerant, atq; plurima loca uastarant. Itaq; ijs pro sua uirili restitit, atq; tandem ut expellerentur effecit. Cum hoc modo magna gloria suas Ecclesias administraret, tandem ætate & labore fessus quietem petijt, & in Gengenbacensi monasterio summa humilitate, id quod reliquum uitæ fuerat, finiuit. Vbi etiam post mortem honorificè sepultus est.

Anon. in Episc. Argent.